COSMOGR

PALLIDA·MO
RS·DVRA·SI
NGVLA·FAL
CE·METIT·

·SCIPIONIS CARTEROMACHI PISTORIENSIS

ORATIO DE LAUDIBUS LITERARUM GRAECARUM.

SCIPIO CARTEROMACHVS
DANIELI RENERIO
PATRICIO VE-
NETO. SA-
LVTEM.

ORATIONEM noſtram de Laudibus græcarũ literarũ, multorum petitionibus, & quaſi cõuitijs efflagitatam, ſub tuis auſpicijs publicamus Daniel Reneri. non modo enim ſingularis humanitas tua, beneuolentiaq́ erga nos, id facere nos cogit, ſed & græcæ quoq́ linguæ tanta experientia. ut me ego, quoties de his rebus una ut ſit, cõfabulati ſum9: adiutum abſte in ea maxime ſenſerim. ergo tu cũ eam a nobis habitam, uulgo, paſſimq́ commendaris, editioni quoq́ plus fortaſſe iuſto fidere nos effeciſti. ſumus enĩ neſcio quo pacto perſuaſi, quod tu laudaris, id a nemine iri improbatum. Quod ſiue ſuccedet, tibi laudem omnem debebimus, ſiue erunt: quib9 ea re minus ſit ſatiſſactum: tuũ erit uel tueri nos: uel emendare. Vtrumq́ autem nobis optatiſſimum, ac uoto proximum. nam & patrocinium tuum meritum uideri, ampliſſimum & morum, & doctrinæ teſtimonium cenſeri poterit: ac limam tuam ſubire, nil aliud erit: quam accipere τὸν κολοφῶνα τοῦ λόγου, καὶ τὴν τῆς ἀθηνᾶς ψῆφον.

Vale.

CVM VARIA, multiplicia q; sint
uiri studiosissimi: quæ apud di-
uersos homies bona, honestaq;
existimant, p̄ cuiusq; cōmodo,
aut naturæ conueniētia: illud p̄
fecto optimū uideri debet: quod
consensu omnium, aut certe pro Optimū,
batissimorū, utilissimum huma- quod uti-
no generi natura edidit. quod e- lissimum.
nim beneficia summa omnibus contulit: confertq; cottidie:
id non esse optimū dici non potest. metitur enim bonitatē
beneficentia. Disciplinis autem a Dijs immortalibus ni- Disciplinæ
hil utilius datū esse homini, tam nemini dubiū esse uideo:
quā nihil animo ipso diuinius: cuius illæ sunt possessiones,
ac facultates. Neq; uero obscura sunt: aut ignota earū be-
neficia hominibus: cum & audiant ea cottidie, & uideant, at
q; omnibus pene modis experiantur. Quod si Disciplinæ
utilissimæ: quantæ id dignitatis esse censendū est: cuius hæ
potissimum beneficio manarint in lucem? certe maximæ,
& cui nihil anteponi uel possit, uel debeat. Id autē esse græ Græca
cam præcipue linguam, cū egregios in quauis disciplina ui- linguā.
ros nō credidisse modo, sed & tradidisse, uel legerim, uel au-
dierim: ipse quoq; facile me in eandē sententiā adduci pati-
or. cuius rei uos certe iudices in præsentia facio, qui cū eius-
modi ornamentis insigniti omnes, atq; honestati p̄deatis:
græca quoq; uel in uobis ipsis admiramini, uel in alijs stu-
dio prosequimini. Existimo autē quicquid laudis uniuer-
sis simul conueniat disciplinis: id omne græcæ linguæ meri-
tis nō iniuria ascribi oportere. quod quā uerum sit: mox au-

dictis. Iam enim huc græcæ linguæ laudes exploraturi accessimus: Quantūq̃ ex ea manarit utilitatis humano generi: quamq̃ ea latinis præsertim hominibus cōtulerit semp: conferreq̃ possit in dies magis uti uolentibus. Igitur græca lingua, si græcorū scriptorum sua prodentium fidem sequimur, uetustissima, nobilissimaq̃ est. Quippe quæ nō aliunde traxerit initium: sed apud suos homines ueluti naturali quodam ortu prodierit in lucem: atq̃ maioribus assidue incrementis inoleuerit. Nam cum Athenienses, quorum purior atq̃ elegantior sermo est: αὐτόχθονας hoc est indigenas, ipsosq̃ suæ terræ perpetuos incolas, propriosq̃ cultores, dici conueniat inter scriptores, quis nō uidet linguā quoq̃ ipsam non minus αὐτόχθονα dici debere. sermo enim a natura homini datus, certā hominis ætatem necessario consequitur, nisi quid impediat. non enim possunt nō loqui homines, expeditis præsertim locutionis uocalibus instrumentis. at quanam alia quæso lingua usos credamus eos: qui nō aliunde migrarint, nisi ea quæ ipsos semp comitata sit. Quapropter hoc plus cæteris nobilitatis græca lingua sortita esse uidetur, quod aliæ hominū inuenta proculdubio sunt: hæc naturalis quodāmodo existimari potest. quādoquidem in eam primi illi homines nulla arte, nullaq̃ industria, sed naturali quodam instinctu ducti fuerint. Cur enim ea potius uerba in mentē uenerint illis hominibus nullius adhuc rei gnaris quam alia: Quippe natura ipsa omniū rerum pūida, ea uoluit lingua instituere illos homines: quæ ad sui postea indagationem, atq̃ expressionem, plus aliquid cæteris collatura esset humano generi, quod nō fefellit. tanto eñ græca lingua cæteras omnes antecellere uidetur in tradēda

Vetustissima.

Naturalis.

rerum

rerum cognitione: quanto homo aliquis omnium rerũ peritissimus, atq; ingenio perspicacissimo, ac prope diuino, hominẽ alium mediocris literaturæ, tenuissimiq; a natura ingenij, antecedit. non modo enim disciplinas omnes quotquot unquã fuerunt & melius, & copiosius græca ipsa et perlustrauit & tradidit: sed & si alio sermone hæc exprimere, aut efferre nitare, plurimum necessariæ lucis, ac prope ueritatis ipsius abstuleris. Ideoq; ueluti mancum merito credi potest: quicquid alijs literis scriptũ legatur: si cum eo conferatur: quod a græcis proditum sit. nec id hominũ tantũ causa euenire dixeris: qui non eam uel curam, uel diligentiã adhibuerint in perquirendis rebus, aut tradendis: quam græci homines. nam id quoq; uere dicitur (quid enim intentatũ illis ut Plinius inquit.) sed ipse quoq; cæterorum sermo nõ eam patitur expressionem, quam græcus. atq; adeo, ut plus naturã efficere, quam uerbis monstrari possit: in alijs quidẽ locutionibus non procul absit a uero. in græca autem tantũ abest ut uere dicatur: ut melius etiam aliquãto, atq; significantius non nulla ante oculos ponat: quam natura ipsa moliatur. Id autem Latini interim sermonis argumento intelligere licet: qui cum elegantissimus & sit, & habeatur: a græco tamen longe superatur. Diuus quippe Hieronymus proprietatem inquit græcã latinus sermo nõ exprimit. Quintilianus, uidetur mihi sermo ipse romanus non recipere illã solis concessam atticis uenerẽ. Gellius, Adieci inquit sæpe animũ ad uocabula rerum non paucissima: quæ neque singulis uerbis ut a græcis, neq; si maxime pluribus eas res uerbis dicamus: tam dilucide, tamq; apte demonstrari latina oratione possunt: quam græci ea dicunt priuis uocibus, &

Significantissima.

 paulopost,

paulopost.sed huius inquã tui erroris culpam esse intelligo in mea scilicet,infacũdia,qui ne pluribus quidẽ uerbis potuerim non obscurissime dicere:quod a græcis rectissime uno uerbo & planissime dicit̃. Cicero cum Aristippi illud amico scriberet,habeo,nõ habeor a Laide,græce inquit id melius. Lucretius multa se græce dicere affirmat propter egestatem linguæ,& rerum nouitatẽ. Quod si Latinitas græcitatem,ut sic dixerim,usquequaq; referre non potest:cui coniũctissima est,ac prope germana:quid alias linguas existimemus:quibus cum nullum est illi cõmertium, nulla affinitas: sed qđ dici solet: diametro inter se distant:at habent & illæ suum fortasse nitorem,suam elegantiã. Equidem non negauerim inesse aliquid singulis ꝓpriæ uenustatis. neq; ẽm uerisimile est ingenij cuiusuis homines nullã omnino curã proprij suscepisse sermonis. Quin potius quemadmodũ colendorum agrorũ apud omnes pro loci,ac cœli qualitate usus est,sed alijs asperius solũ,ac natura ipsa horridius multum ueri cultus respuit: ac negligit:alijs contra mitius,ac placidius omnẽ admittit curam,omnẽq; industriã. sic quæuis locutio splendoris quidem aliquid in se retinet:sed cæteris multa negata sunt,græca omnia una complexa est, atq; eo usq; ut quæ apud omnes alias peculiaria natiuaq; sunt ipsa quoq; reddat non minus eleganter:quã apud illas ipsas habeantur. nulla autem uim eius penitissimã possit exprimere. Quo fit:ut nostri,quoties aliquid efferre cogitãt: quo nil uenustius, nil elegantius intelligi uelint:atticos lepores,atticos sales,atticã uenerem,atticam eloquẽtiam,aut atticũ demum aliquid id esse dicant. Quã obrem quod de Platone inquit Cicero:Iouem si loqui uelit:nõ aliter locuturum, quam

quã scripserit Plato:si idem, aut simile quiddã de græca lingua pronunciemus:non absurde dicturos nos arbitror:naturam si loqui uelit:nõ aliter, quam græce locuturã. quod & re ipsa comprobauit, sua siquidẽ mysteria omnib⁹ sane hominibus in medio proposuit perquirẽda, ut cuiuis in eius arcanis liceret ingeniũ exercere. at perfectam de ĳs ipsis, atq; absolutam tradere cognitionẽ, græcis proculdubio solis cõcessisse & quasi diuinitus reseruasse uidetur. Itaq; soleo mecum ipse quosdam ex græcis ridere nõnunquã: qui adeo sibi inuidere uideantur, ut quicquid in disciplinis græci profecerint: id aliorum inuẽtis totum tribuere conentur. Quid enĩ quæso sunt aliorũ inuenta nisi minuta quædam & pusilla? quæ casu magis, quã ratione habita iure existimes: ut liceat in his poetica illa uti sentẽtia, τύχη τέχνην ἔτικτεν, id est fortuna artem peperit. at uero quæ a græcis & cõperta sunt & tradita, nõ tam homines explorasse aut retulisse credas, quã naturam ipsam de se singula prodidisse, atq; adeo ut in cæterorum scriptis illorum ipsorũ hominũ sermo sit, in græcis natura ipsa quod dixi: loqui uideatur. Quod si aut tempus: aut locus pateretur, singulas nos uel scientias prosequi, uel artes: ut quæ a græcis & inuenta in his & tradita sunt, cũ cæterorum omniũ, quos scimus traditionibus conferremus: pfecto nemo uestrum (ut arbitror) relinqueretur: qui non tãtum græca a cæteris distare magnitudine fateretur: quãtum elephãtem a culice. Quid enim, ut alia omittã, philosophia ipsa omniũ scientiarũ parens, ac Domina adiumenti unq; habuit ab alio genere, quam a græcis? tantũ enim abest, ut quicquã cæteri contulerint philosophiæ: ut si qui etiã e barbaris, eius aliquãdo studio incensi fuerint: ad græcos migrarint:

Philosophia a Græcis.

rint:atq; ijdem, si quid ex philosophia posteris relinquere uoluerint:id nõ sua magis, quã græca lingua efferre dignũ iudicarint, non tam remunerãdi gratia, ut existimo, eam linguam cui acceptũ referrent quicquid scirent, quã quod aut insolẽs, aut impossibile uideret', uel disci, uel tradi recte philosophiã alio quã græco sermone. Hinc Toxaris, atq; Anacharsis e Scythia Athenas philosophandi studio se contulerunt. Chion e ponto, Cuius & superioris Anacharsidis extant græcæ quoq; epistolæ perquã elegantes, nec minus philosophiæ præceptis refertæ. Phauorinus uero e gallia, non modo plurima græce in philosophia conscripsit:sed & Romæ quoq; ubi uixit multa sæpe græce disputauit:quemadmodũ Gellius ex nostris, ex græcis Philostratus autores sunt. Philon Iudæus nõ hebraice magis, quã græce philosophiam illustrare conatus est. Musonius autem omniũ stoicorum Neronis tempestate celeberrimus cũ e Vulsinio esset Romæ proxima urbe; græcis potius scriptis, quã latinis monumentis philosophiam augere uoluit. prætereo quot syri: quot ægyptij, quot Thraces philosophiæ mysteria græce scripserint, Orpheum, Musæum, qui tamet si inter poetas cõnumerantur, attamen possunt & philosophiæ adscribi, cum uetus illa theologia nõ nisi carminibus texeretur. Sed quid opus est alios cõnumerare? cum Aristotelẽ ipsum philosophiæ magistrũ, Thracia nobis tulerit, Græcia excoluerit: Cuius celebriores quoq; expositores nõ græci, græce eũ interpretati sunt. Porphyrius e phœnicia, Iamblichus e syria, Ammonius & Philoponus ex ægypto: Simplicius e phrygia. Quin & in alijs quoq; artibus multi multa græce scripserunt nõ græci. De grãmatica exactissime Apolloni9

& Herodianus

& Herodianus Aegyptij. De Musica, atq; Astrologia Ptolemæus itidem. Arithmeticam Nicomachus & Iamblichus syri: & geometriæ nonnihil. Dialecticæ quoq; ante Aristotelem ab Archyta Tarentino scriptũ aliquid legimus. neq; id nunc dico, non posse homines aliter philosophari, quam græce: sed quicquid cæteri philosophati fuerint, aut inchoatum quiddam, aut non absolutum consistere: sed quod extremam & quasi Apellæam manum desyderet. At dicet aliquis Pythagoram, Platonem, atq; alios philosophandi studio in ægyptum se contulisse. Ego uero non negauerim aliquid inde in Græciam retulisse hos uiros, ex ijs præsertim: quæ ad diuinitatem pertinent: quæ ab hebræis multo ante in ægyptũ pulsis manasse uerisimile est. nam & legisse Platonẽ hebraica scripta, & lecta imitatum fuisse autor est Eusebius, atq; ea in græcam linguam tralata, quando & Trismegistum, qui omnem pene ueritatem, ut ait Lactantius: nescio quo modo inuestigauit: græce scripsisse uidemus. hebraicam tamen ueritatem interim excipio. nam de humanis rebus, atq; artibus agimus, non de diuinis inuentis. quanq; hæc quoq; postea, a græcis potissimum explicata sunt: cum ratio propagandæ ueritatis iam non refragabatur. Quid quod & Indos philosophos græcæ linguæ ignaros non fuisse scribit Philostratus, & cum Tyanensi Apollonio græce nonnunq; fuisse locutos. Atq; hæc de græca lingua, quantũ uel nobilitate, uel usu cæteras antecellat: dicta sufficiant. nunc quantum latino sermoni adiumẽti præstet: dicemus. Nam aliæ profecto locutiones scire sine græca lingua parum recte possunt, ut uero optime loquantur nihil impedit. At latinus sermo ne loqui quidem potest exacte

Græca lingua quantum latinæ conferat.

ſine græcæ linguæ cognitione, tantum uel cognationis uel
cõiunctionis cum illa ſortita eſt hæc noſtra, ut eſſe fortaſſe
poſſit ſine illa, bene autem eſſe nõ poſſit. Quemadmodum
homo ſine uirtute ut ſit: nihil prohibet, ut uero bene ſit: fieri
non poteſt: ſi uirtus non adſit. Quare quid aliud eſſe dice-
mus græcam linguam: ſi ad latinam referatur, quã eius uirtu
tem, ex qua ſua illi felicitas comparetur. Quod ſi Ouidianũ
illud ſub eius perſona protulerimus, non ab re fortaſſe dixe
rimus: Ergo ego ſum uirtus: ego ſum tibi nobile regnum.
Minime autem indignari debet ſermo latinus: quod e græ
co manarit: ſed gloriari potius. nam quod ab optimo auto-
re initium ſui traxerit, fieri non poteſt: quin ſit & ipſum opti
mum, atq; illi proximum. non poteſt ergo nõ eſſe cuiuis rei
accommodatiſſimus latinus ſermo: qui e græco proceſſerit.
ac mihi ſane uidetur: cum utrunq; cõſydero nihil aliud eſſe
latinus ſermo: quam græci exemplum atque imago, ut quic
quid in illo ſit: in hoc quoq; eniteat. principio eñ ſi elemen-
ta, ac literas earumq; inter ſe contextum intueare, eandem
in utriſq; inueneris rationẽ: ſi uerba, ac uoces: eodem modo
ſignificare, eodemq; modo necti, ac cõſtrui ac pene uim ha-
bere eandem. ideoq; ſiqua etiamnum innouanda nobis, ac
fingenda ſint, ita demum habitura fidem dixit Oratius: ſi
græco fonte cadant. nam & multa nos a græcis accepta trãſ-
poſitis literis noſtra fecimus. μόρφαν illi Dorica lingua di-
cunt: nos formam: Illi ἅρπαξ nos rapax, multa immutatis
φῶρ fur, νύξ nox, multa additis ἕξ ſex, ἕρπυλλον ſerpyllum.
multa eadem permanſere. Infinitum eſſet omnia perſequi,
ut dictionum eadem ratio, ut nominũ, ac uerborũ inflexio,
ut præpoſitionum, aduerbiorum, coniunctionum eadem
obſeruatio.

Latinus ſermo, Græci imago.

obseruatio. sed minutiora hæc,quam ut in præsentia exami nanda sint:& a nostris grammaticis abunde tractata. Orationis uero cõpositio ita pendet e græco, ut quæcunq; a græcis tradita sint in ratione dicendi, eadem a latinis & seruentur & seruari iubeantur,nam & quas dicunt sententiarũ & quas orationis figuras, in usu a latinis non minus receptæ sunt: quam a græcis:& earum nomina aut græca adhuc usurpantur,aut græcorũ imitatione significantur, uim quoq; rei appellatione ipsa exprimẽtia.quam qui nõ uident:rem quoq; ipsam non diligenter animaduertunt. Neq; uero casu euenisse dixeris tantam hanc conuenientiam,sed industria, sed prouidentia, quare non nisi græca lingua duce procedere latinam posse uerissime affirmari potest. Quemadmodum enim si principium rei, atq; origo nesciatur, sciri ea res non satis recte potest: ita latina lingua si græca ignoretur, ut bene teneatur:non fit uerisimile. Quod si te ad disciplinas, artesq; cõtuleris,ac rerum cognitionẽ sectari uolueris: Iam uero hic quã pene nihil effeceris:si te græcis priuaris.omitto enim grammaticã, quæ ut multa habet ꝓpria,peculiariaq; in uno quoq; loquendi genere, sic multa etiã retinet græcæ latinæq; linguæ ita cõmunia,ut quod de altera tradatur, alteri non minus cõueniat: quare græcis quoq; niti autoribus ad nostrũ loquendi usum non renuere nostri. At uero Dialectica tam potest sine græcis literis incolumis sciri,quã sine Aristotele,nisi forte a recentiorib⁹ uel nosci uel tradi melius existimemus: aut ijs libris perdisci posse: qui ex Aristotele tralati habeant:q̃s si aspiciat ipse nõ recognoscat,sed qđ de Aquila dici solet pullos nacta nõ legitimos, rejciat: ac nolit ꝓ suis:Quippe qui Aristotelici solis radios nõ ferãt.possem

Cõpositio orationis.

Grammatica.

Dialectica.

hoc loco afferre ſingula quoqꝫ uocabula: quibus utuntur Dialectici, quæ aut græca habeantur, aut græcorum imitatione ſint facta: quorum etiam nonnulla male a recentioribus accipiuntur. in his enim græca ratio ſequenda eſt: quā qui ignorant: ſæpe falluntur. Quam multa autē ſunt apud ipſum Ariſtotelem: quæ aut latine tranſferri optime nequeunt: aut ſi tranſferant̃, ſenſum ipſum græcū non uſqꝫquaqꝫ reddant. Quod ea de cauſa dictum uelim: quod nonnulli exiſtimant, ſi legant Ariſtotelicas quaſcunqꝫ tralationes: ſtatim ſe ſentētiam tenere philoſophi. Quæ res pleroſqꝫ fallit & quidē non indoctos: cum & qui tranſferunt plerunqꝫ ipſi allucinentur atqꝫ aliud pro alio reddant. & qui legunt aliter plerunqꝫ accipiant: quam ab eo dicantur. tam igitur Ariſtoteles ſine græcis literis intelligi optime poteſt: quam ſine ſe. Quomodo enim, uim ſaltem ipſam Ariſtotelicæ locutionis intelligent: quā ille adeo elaborauit: ut aditum eo pacto ſuæ philoſophiæ præcluſerit ſocordibus atqꝫ inertibus ingenijs. Quanquam ſunt qui hæc ſane non magnifaciant, immo uero & contemnant, qui & Dialecticæ uſum longe melius teneri hac noſtra tempeſtate affirmant, quam Ariſtoteles ipſe calluerit. Quæ res uellem equidem pro mea in noſtros uiros beneuolentia, tam uere, quam animoſe diceretur. ſed nos hæc aliorū iudicio relinquimus: ne quod græce dicitur ὑπὲρ τὰ ἐσκαμμένα πηδῶμεν, neue dum alios arrogantiæ fortaſſe arguim⁹: ipſi arrogantiores reperiamur: qui ſupra crepidam iudicare audeamus. Tranſeo igitur ad

Poetica.

Poeticam, cuius & inuentio & uſus, ita totus græcorum eſt: ut quod de furore ait Plato, inanem eſſe hominis conatum: qui ſine furoris ea, quā uult ſpecie ad poeticas fores acceſſerit: de

rit:de ignaro græcarum literarum dici possit, incassum scili/cet eum laborare. nunquam enim ingressurum musarũ pe/netralia. Nam ut omittam principem omnium Homerum, a quo ceu fonte perenni uatum pierijs ora rigantur aquis, ut alios græcos Poetas, qui quasi uiam strauere posteris ad quoduis poematis genus, nonne fabulæ ac figmenta ipsa poetica, quibus tota uis atq; uniuersa pene constat poesis, ita græcorum propria sunt, ut uel ab illis sint accipienda: uel illorũ more confingenda. Quod siqua etiam a nostris con/scripta extant, ea aut e græcis pendent, aut manca sunt: & ad græcos nihilominus referenda. Quin & figuræ ipsæ uer/borum, & quos tropos appellant, Tralationes, Compara/tiones, Similitudines, quæ quasi condimenta sunt totius poeticæ compositionis, uel a græcis mutuanda sunt, uel illo rum imitatione tractanda. Ideoq; inquit Oratius, uos ex/emplaria græca nocturna uersate manu, uersate diurna. In/uentio quoq; ita græcorũ pene peculiaris est, ut nostri quo/tiens aliquid acutius, aut elegantius afferre uolunt, id totum a græcis transferant integris sententijs, uerbisq; seruatis. Quid quod & nomina ipsa uel locorum uel hominum, qui/bus in poesi nõnunq; uti cogare: græca sunt magna ex par/te, in quibus si græcam originem ignores, plerunq; fallare te, necesse est. quod nõ modo nostræ tempestatis hominibus contigit alioqui non indoctis, sed & uetustiorum nõnullis, ut Sidonio, Prudentio, Aratori, Iuuenco, qui græcorum no minum quantitate sæpe sunt abusi. Carminum insuper nu/merorum pedumq; genera græcam habent & originem, & appellationem, quæ tametsi a nostris quoq; tradantur, at/tamen a græcis & copiosius explicantur, & melius intelliguntur. Inuentio.

 Rursus

Rursus uerborũ, ac rerum copia a græcis tota ſumenda eſt, quibus, ut ait Martialis, nihil eſt negatum, ſiqua enim ſit apud nos dictionum compoſitio facienda: aut uocabulum innouandum, ſequenda eſt græca figuratio, ac ſiqua in ſyllabarum quantitate licentia uti uelis, niſi græcam adhibeas obſeruationem: non probabere, ſed aut argutule, aut imperite feciſſe uidebere. Itaq; non immerito Ariſtophanes nugas ac delyramenta cæteras omnes nationes exiſtimari uoluit in iudicandis poetis: exceptis Athenienſibus, quos & natura ſapientiſſimos appellauit. Nec iniuria Mineruam ijdem totam ſibi uendicant: cum & cæteri Dij, qui aut poeticæ, aut eloquẽtiæ numina eſſe creduntur, græcis & ipſi adſcribantur, nam, ut inquit Oratius, Grais ingenium, grais dedit ore rotundo muſa loqui, ac de poetica quoq; hactenus. At puto Orator euadet quis egregius ſine græcis literis, Cicerone duce. Negari profecto non poteſt Marcum Tullium, ueluti normam eſſe dicendi in ſermone noſtro, ſi tota teneatur in eo uis atq; uniuerſa dicendi ratio, ſed id qui fieri poteſt ſine græcis literis? Quemadmodum enim in diſciplinis: qui ante Ariſtotelem philoſophi mathematiciue claruere, uſos eſſe nonnunquam demonſtrandi figuris, ſunt qui ſcribant, ſed demonſtrationem omnino ignoraſſe. eodem modo poteſt & quis ſine græcis literis loqui fortaſſe ex arte aliquid: ſed id ut ſe facere ſentiat, aut quo modo fiat, ut ſciat, uix credi poteſt. uis enim ipſa dicendi, tota pendet e græco, tanquam e ſui autore. Huc accedit, quod quæ de arte a noſtris traduntur, aut cõfuſa ſunt: & inuoluta: aut parum idonea ad explicanda ſingula, quæ in orationis artificio latent. Quæ uero a græcis, anxia pene dixerim diligentia &

Oratoria.

obſeruata

obseruata sunt & perquisita. Deniq; cæterarum artium aut sciẽtiarũ potest in alios quoq; nõnihil redundare, at oratoriæ inuentio, atq; usus, totus græcis debetur. qđ ne Virgiliũ quidẽ dissimulare potuisse palam est. cũ inquit. orabũt causas meli9. nulla eñ uerborũ magis patit̃ ornatũ: quã græca lingua. atq; adeo, ut nõ ueritus sit ꝓnuntiare Aristides, aliorum omniũ nõ barbarorũ modo, ut ait, sed græcorũ quoq; locutionẽ, si cũ Atheniensium sermone comparet̃, puerorũ esse balbutientiũ uocem. qđ tametsi nimis magnifice dicit̃, attamẽ non procul abest a uero. idẽ eñ de attica uenere dici potest: qđ de Periclis elocutione scriptũ reliquere tum Eupolis, tum Aristophanes, in eius scilicet labris leporẽ ac persuasionis deam insedisse. atq; in eorũ mẽtib9 qui audissent quasi quosdam aculeos relinqui solitos. demũ fulgere eum, tonareq;, atq; om̃ia permiscere. Demosthenes quoq; Athenienses ipsos eo minus credi a cæteris queritur: quo paratiores sint ad dicendum quã cæteri. Hinc Cicero noster tam & si tantus in eloquẽtia, se quidem conari, Demosthenem autem perficere: se uelle, Demosthenem posse ingenue professus est. & Quintilianus Ciceronem a Demosthene quantus fuit: effectum scribit. Quo fit ut nõ falso Aristides dixerit Atheniẽses solos trophæum sibi erexisse nullo sanguine, subactis om̃ibus gẽtibus oratione, ac disciplinis. proindeq; homines se suosq; a Dijs immortalibus petere, optareq; ut Atheniẽsibus potissimũ similes euadant doctrina, atq; ingeniorũ cultu, qui cibus humani animi esse censet̃: cuius inuentio nõ minus Atheniensibus deberi credit̃: quã frugum, quas illis primũ largita Ceres dicitur. Nec mirum profecto uideri debet: si ex omnibus orbis partibus Athenas olim

homines

homines confluere soliti fuerint, discendi gratia. ut enim cætera animantia eo præcipue trahuntur naturali impetu, ubi uesci, atq; impleri cibo maxime possint: ita & homines, qui aut animus tantum sunt: ut Platonici uolunt, aut potissimũ animus, ut Aristoteles, illuc sua sponte duci uerisimillimũ est: ubi largissima sit copia spiritalis cibi, ac uere diuini, quẽ disciplinæ ipsæ suppeditant, quæ Athenis in primis claruere: indeq; factum est: ut nostri quoq; poetæ doctas Athenas perpetua quasi appellatione uocitarint. sed de oratoria satis. Philosophiæ uero pars tantum naturalior recentioribus latinis in usu semper est habita: quam Aristoteles diligentissime est persecutus. At diuinior illa, quæ Platoni adscribitur: & quam ueteres quoq; Romani admirati eousq; sunt: ut diuinitatem quandam inesse eius uiri scriptis intellexerint quidem: explicare autem non ausi fuerint: ac secuti postea nostri; græciq; theologi Christianæ religioni maxime conuenire demonstrarunt, intacta hactenus iacuit nostris his philosophantibus, nunc uero a plerisq; desideratur magis, quam habeatur. nam sine græcis literis degustari fortasse potest: hauriri non potest. At Mathematicæ scientiæ tam possunt sine græcis literis perfecte teneri, quam sine græcis autoribus. eiusmodi enim sunt quæ ab aliis traduntur: ut siquid modo uel paululum a græcis diuerterint: in profundum labantur erroris: unde educere sese postea, atq; explicare nequeant. Quemadmodum enim qui iter ingreditur: si semel excedere eum e uia, aut aberrare contigerit: quo longius processerit: non magis eo tendit: quo uult: quã recedit inde: ac fugit: sic qui in disciplinis, præcipueq; Mathematicis præscriptum semel ordinẽ liquerit: dediscenda

Physica.

Metaphysica.

Mathematica.

discit. satius enim est nescire aliquid prorsus: quam peruerse
scire. cum deterior longe sit dispositionis ignoratio: quam
negationis: ut Aristotelice interim loquar. Quam autem
fallant: qui mathematicas res sine græcis literis, & illotis, ut
aiunt: pedibus aggressi sunt: facile intelliget: qui Campani
expositiones in Euclidem cum Theonis editione, ac Procli
commentarijs conferet diligentius: aut Euclidis eiusdē per-
spectiuam, atq; opus aliud de speculis, cum ijs, quæ latine
scripta sunt ijsdem de rebus. aut mathematicas Aristotelis
quæstiones in libris, quos problematum appellant: atq; in
omni philosophia rimentur: quemadmodum a latinis intel
ligantur. Quod si Boetij quoq; arithmeticam, tametsi dili-
gētissimi græceq; doctissimi, ad Nicomachi præcepta, Iam
blichi, ac Philoponi commentaria referant accuratius: per
spicient profecto: quam græca ipsa, non modo exactiora,
sed & ueriora dicantur. De Musica illud satis dictu fuerit: Musica.
omnia instrumēta, sonos, proportiones, consonantias, ner-
uos, græcam habere appellationē. prætereo græcos Musicæ
scriptores Euclidē: Aristoxenū: Nicomachū: Ptolemæum:
Plutarchū: Bryenniū: Porphyriū: atq; alios. cum apud nos
unicus sit Boetius: exceptis Diui Augustini paucis: & Ma-
crobij, ac Marciani Capellæ non nullis. Nam nostram
hanc Musicam, a uetere illa iampridem desciuisse, cum plu
ribus indicijs, ut credam: compellor: tum Olympiodori
quoq; grauis philosophi testimonio maxime moueor: qui
cæterarū disciplinarū, Arithmeticæ, Geometriæ, Astrono-
miæ reliquias sua quoq; tempestate seruari scribit: de Musi
ca autem illum Homeri uersum usurpauit: ἡμεῖς μὲν κλέος
ἐσθλὸν ἀκούομεν, οὐδέ τι ἴδμεν: id est, nos clarū audimus no-

men:nihil inde tenemus:quaſi nihil ſit reliquũ ueteris Muſi cæ. In Aſtronomia quoq; multa mihi uidentur eſſe apud græcos:quæ a Latinis deſyderentur. Nam præter Ptolemæi ſcripta,& ea nõ nimiũ fortaſſe fideliter ad nos tralata:pauca ſunt:quæ ad ueræ Aſtronomiæ uſum aditũ præbeãt. Quid enim ſimile apud nos habetur τῶν εὐκλείδου φαινομένων:quæ ueluti Aſtronomiæ elementa traduntur a græcis? Quin & Theodoſij σφαιρικὰ uti principia totius aſtronomiæ ſumi debere,autor eſt Philoponus. Quippe quæ exactiora ſint: & eandẽ obtineãt rationẽ ad aſtronomiã: quam Geometria ad Opticen: ad Armonicen Arithmetica. ſiquidẽ ἀϋλότερα, hoc eſt immaterialiora ſint, ut ſcribit Dauid philoſophus non incelebris. Theodoſij autem σφαιρικὰ ſequi dicit Philoponus Autolyci opus περὶ τῆς κινουμένης σφαίρας: hoc eſt de ſphæra:quæ mouet̃.indeq; poſtea principiũ ſumere aſtronomiam:utpote minus exactis,minuſq; certis demonſtrationibus utentem q̃ ij faciant. quæ enim in Aſtronomia demonſtrent̃:ſummã extremãq; certitudinẽ nõ polliceri dicit:ſed quod proxime accedat. umbrarũ inſuper ratio non abeſſe ab Aſtronomiæ præceptis creditur: cuius rei a græcis quoq; tradũtur demonſtrationes,nec deſunt qui de his ſcribant, ſed nos hæc alijs penſitanda relinquimus. ſatis eñ habuimus innuiſſe. Medicina uero eo magis indiget græcis literis,quo maius periculũ affert ignoratio medicamẽti:aut ægritudinis:quod euenire illis nõnunq; ueriſimile eſt qui græce neſciant,quando græcis uocabulis omnia pene uocitẽtur apud medicos: & eius artis autores græci præcipue in pretio habeantur:a quibus ſi qui in alia lingua claruerũt:ueluti riuuli fluxerint, manarintq;,ac ſiquid habent:inde acceperint

Aſtronomia

Medicina

perint. quanq̃ non purum id, sincerũq; secum ferant, quæ res non modo a nõnullis nostræ quoq; tempestatis medicis animaduersa est: sed scriptis etiã prodita. Ad summã nõ uideo quid in quauis disciplina sciri recte possit, si græca ignorentur. Nec fuerit iuris quoq; consultis hoc inutile. nam & multa habentur in græcis legũ codicibus, quæ apud latinos nusq; legantur. siquidem, ut Politianus præceptor noster dicere solebat, multa græcis legibus addidit Iustinianus, quippe quæ latinis notiora existimaret, quã ut scribi oporteret: græcis autem, utpote alienis admodũ a Romanis moribus, consuetudinibusq;, explicanda latius censuit: quæ nunc remansere, illis apertiora, quã nobis, propterea q; inde petenda. Accedit & illud, quod in latinis Pandectis, quæ nũc Florentiæ uisuntur: integra legum interpretamenta græce inueniuntur adscripta, quæ & ipsi uidimus, legimusq;, & græca testimonia citata, ut Homeri sæpenumero, & græca uerba addita significantiæ gratia, atq; expressionis. quod non abre fecisse uidetur Iustinianus inter græcos magis, quam latinos referendus: quando in græcia semper uixerit: quod ex Procopij certe historijs licet animaduertere. Et quoniam in historiæ mentionem incidimus, quantam hac quoq; in parte utilitatem præstet latinis hominibus græca lingua, haud facile dixerim: cum multa sint a græcis petenda ex nostris quoq; rebus: nõ enim omnia adhuc ad nos tralata peruenere. sed quota pars, atq; ea nescio an satis fideliter: qua de re, ne, quod dicitur, cum laruis lucter mortuos insectando, dicere nunc supersedeo: præsertim cum iam pleriq; animaduertere incipiant: quam sit erratum in historicis potissimum tralationibus. & nos hæc, & pleraq;

Iura

Historia

 alia,

alia, quæ perperam in singulis disciplinis traducta habẽtur: copiosiore oratione non maledicẽdi certe studio, sed ad nostrorũ hominũ utilitatẽ aliquãdo ostendemus. Theologia

Theologia. demum, & si non nihil a græcis dissidet in præsentia, attamẽ multa est ab illis olim mutuata, & nunc quoq; potest. sunt enim ueteres græci scriptores: quibus nõ minus, quã nostris ueritas ipsa roboretur: quippe quos secuti nostri: quorũq; placitis innixi, totius religionis ualidissima, firmissimaq; iecerint fundamenta. Quis enim quæso Basilium illũ magnũ non complectatur Christianæ quoq; fidei hostibus admirandũ: incertũq; doctiorẽ ne, an eloquentiorẽ? Quis duos Gregorios Nysses, & Nazianzenũ, non duo belli fulmina ut poetæ Scipiones: sed duo religionis lumina, uel potius soles nunq; obscurandos? quorũ alter theologi cognomentũ meruit apud suos: & diuum nostrũ Hieronymũ quantus est: effecit: alter præter philosophiæ quendam ueluti afflatum, tanto quoq; fluit lepore: ornatuq; uerborum: ut Basilij fratrem, uel potius discipulũ, ut se ipse appellat: facile possis agnoscere. Prætereo Athanasium minus his fortasse cultum: sed certe nõ minus diuinũ. transeo Damascenum non theologũ modo acutissimũ: sed acrẽ & philosophũ, & Dialecticum. taceo Chrysostomũ, nõ ab re profecto cognominatũ aurei oris. omitto & alios: quorũ & scripta, & sentẽtiæ ita circũferuntur a nostris: ut pro oraculis haberi uideãtur. Quid? quod omnia, quæ de Christo literis mandata sunt: græce primum composita feruntur: excepto Matthæi euangelio. Quare fieri non potest: ut non nullorũ fides e græco petenda non sit: Quẽadmodum eorum, quæ a Mose, aut Prophetis scripta sunt: ex hebraicis petitur uoluminibus.

quod

quod facere nõnunq̃ uidet' Diuus Hieronymus: & fecisse
ante eum Origenes credi potest, atq; Apollinaris uir uterq;
doctissimus, & hebraicæ linguæ studiosus. Quoquo igitur
te uertas: præsto adest græca lingua: operam suam in oĩa
præstitura: quã si refugias: non tam illam reiecisse: quam
te necessariis admodum rebus fraudasse uideare. Atq;
hæc sunt: quæ de græcæ linguæ uel nobilitate, uel utilitate di
cenda sese nobis obtulerunt: nimium fortasse multa latino
homini. non enim uideor inuidiam ueritus: quod latinus
apud latinos ita græca extulerim, ut pene nihil nostra esse
contenderim, quod non tam laudandi gratia aliena, quam
nostros homines admonendi dictum existimari par est.
Quippe cum in ea perdiscenda maiores nostri ita laborare
sint soliti: ut uix sine illa quicquam se scire putarent. semper
inquit Cicero, ad meam utilitatem cum græcis latina con-
iunxi. Quintilianus a græcis incipiẽdum præcipit. Ouidius
quoq; inquit: Nec leuis ingenuas pectus coluisse per artes
Cura sit: & linguas edidicisse duas. Claudius Cæsar utranq;
linguam nostrã appellare solebat: nec iniuria: cum ita græ-
cam linguam tenerent ueteres Romani: ut nihil apud eos
differret græce ne, an latine, uel scriberent: uel loquerentur.
Ennius tria corda se habere iactabat: qđ triplicem linguam
calleret græcam: latinã: & oscam. Ouidius dum in Scythia
exularet: atq; aduenarum congressum nonnunquam desy-
deraret: eius inquit, qui accesserit, siue græca scierit: siue ille
latina uoce loqui: certe gratior usus erit. Nero imperator
apud patrem consulem iuuenis adhuc pro Rhodiis, atq;
Iliensibus græce uerba fecit. Vespasianus græcis quoq; iocis
extemporalibus usus traditur. Ciceronẽ tam græce, quã la-

tine declamare solitum: nemo est qui ignoret. eundemq; græce aliquando Rhodi orasse: quem cum audisset Apollonius: exclamasse fertur: græcã quoq; eloquẽtiam Romã a Cicerone transferri. idem cũ de tẽporibus suis græce scripsisset græcorũ qͦrundã hortatu, græcã omnẽ nationẽ a scribendo deterruit. scripsit iisdem de reb⁹ & Pomponius Atticus, qui & cognomentũ adeptus credit̃: qd' atticã linguã ita referre crederet̃: ut natus, educatusq; Athenis uideretur. Q d' Theophrasto homini græco, ac diuinæ eloquẽtiæ uiro contingere non potuit, quominus a uetula argueretur: tanquã non atticus, sed externus, dum cupit nimium atticus uideri. Bruti græcas epistolas, quæ adhuc in manibus habentur & Plutarchus laudat: & Philostratus omnium imperatorum epistolis longe anteponit: & Mithridates quidam regii generis summopere admiratur: Marci quoq; Romani imperatoris græcas epistolas uehementer probat Philostratus. Quam multi autem ex Romanis, græce potius, quam latine historias scribere aggressi sunt. Albini meminit Gellius, Luculli Plutarchus, Diui Claudii græcas historias, præter Suetonii attestationem citat Stephanus græcus autor, Arrianum, cuius de Alexandro Macedonũ rege græcæ extant historiæ, & de Epicteti stoici dissertationibus opus, inter primates Romanos numerat Lucianus. Aelianum cuius multa adhuc græce scripta leguntur, Romanum fuisse scribit Philostratus, & quod maius est: græcam linguam in urbe didicisse, ac nunquam excessisse Italia: Germanicum Cæsarem græca quoq; scripsisse poemata autor est Quintilianus. Quin & græca eius epigrammata adhuc leguntur. necnon Tiberii, Adrianiq; omnium elegantissima. nostra

quoq;

quoq; tempestate non defuere: qui græce scriberẽt, ut præceptor noster Politianus, quem & Ioanni quoq; Argyropylo græco homini sæpe admirationi fuisse uidimus: ut ue ster Hermolaus nunquam satis laudandus. Nemini igitur mirum uideri debet græcam linguam adeo a nobis probari, commendariq;, in qua uideam maiores nostros, non minus laborasse, quam in latina: cuius & parentem, & altricem illam proculdubio & crediderint, & prædicarint: a qua & si nihil aliud, disciplinæ certe nostræ, fluxerint, ut ait Quintilianus. Quemadmodum autem qui de parentibus optime mereri student, non ægre ferre creduntur, si tota eorum dignitas, atq; existimatio in eos referatur, qui non solum fundamenta iecerint suæ felicitatis: sed eo quoq; perduxerint: unde illi nunc apud omnes in pretio sint. sic non indignari debet latina lingua, si tota eius gloria in græcam redundet omnium bonarum artium magistram. cum enim uetus lex sit, ut Aristides inquit, Altoribus uniuersam referre gratiam quoad fieri potest, tantum abest, ut me latina offendere putem græca laudando, ut & gratificari me magis existimem latinæ linguæ, quod gratiã, si non omnẽ, saltem quam possum, eius quod dicitur uerbis, illi referam, cui & debere se plurimum, & debuisse semper ingenue professa sit. Quippe quæ nihil unquam æque abhorruerit: atq; ingrati animi uitium. benignum est autem fateri per quos profeceris, inquit Plinius. studium autem nostrum hac in re tantum abest ut ostentare in præsentia uobis studuerim: ut uehementer doleam, me non tam hæc dicere coactum, quam sentire ac sequi, ueraq; cottidie experiri. neq; enim existimetis: me tantum laboris exhausisse ab ineunte

ætate aliena sectando: ut pene negligerē mea: nisi peruidissem & doctissimorum quorū q; exemplo, & ueterum testimoniis, omnem uim latinæ linguæ in græca cōsistere: quod cum & re ipsa demum cognouerim: non cōmittendum putaui: quominus & uos, & singulos quosq; bonarum artium studiosos, quantū in me esset ad eadē adhortarer: animarem: accēderē: ne difficultate rei deterreremini. tanta est em̄ illi: quod iam diximus cum latinitate coniunctio: atq; affinitas: ut eadem propemodum utricq; conueniant. Quare non uideo: quid hac in re sit cuiquam pertimescēdum cum nihil pene noui sit offensurus. sed quod de animis nostris aiebat Plato: reminisci eos cum essent corporib9 obducti: omniū: quibus multo antea diuinitus fuissent imbuti: id latino homini euenire credendum est græca discenti: eadem quasi resumere: quo fit: ut nō magis præceptore uobis opus esse dixerim: quam monstratore: qui in memoriam suggerat: excitetq; græca ueluti uestigia: quæ subobscura, tenuiaq; uestris ingeniis iamdiu reposita, conditaq; seruantur. ad quam sane rem, græci fortasse hominis opera commodior: quā nostra: ego uero, ut non negauerim, sua melius græcos tenere quam nos: ita affirmauerim: nostra nos melius nosse: quā græcos, insuperq; tam posse nos res illorum perdiscere: quā illos nostras. cum itaq; latini docendi sunt græca: nescio an græci studiū latinæ sedulitati anteponēdū sit. nō tam enim intelligendi, quāq; id quoq; ratio habēda est: quā explicādi. qđ siquis pronūciationis tantū græce studio, eius ad unguem ꝑdiscēdæ gratia, græcū sibi cupit præceptorē: Quintilianum audiat præcipientē: non esse dandam operam literis græcis superstitiose: ut & plurima oris accidant uitia,

& in

& in peregrinum sonum corruptus sermo perduret: sed ita discendam esse græcam linguā comite latina: ut neutra alteri officiat. quæ res, a latinis melius, quā a græcis accipi potest. si quis autem examussim utrūq; se præstaturum confidit: illum mirabor & ipse: & dicam monitis non eget iste meis. Nos uero operam nostram quibus ingrata non uidebit: pollicemur: nō magis duces, præceptoresq; professi nos ipsos, quā comites, sodalesq;. Quippe qui nullū laborē, nullā molestiā recusaturi simus: dū uos ita græcis imbuamini: ut disciplinas inde omnes, quascūq; libuerit: facillime adipiscamini. a quibus eo postea perducendi sitis: ubi cū fueritis: liceat iam humanā felicitatem, siqua modo est in hac uita: quasi manu prehensam tenere: quā si dimiseritis: uobis ipsi defuisse uideamini. non est autem cur uos moneā ulterius: uti homines esse memineritis: quibus felicitas hæc quæcūq; sit: debeatur. nam hoc tam cuiuis notū esse debet: quā quod uiuat. illud potius nostra interest: cōfirmare uos: atq; adhortari: ne laborē reformidetis: qui uoluptati, quā in ipso statim limine græcarū literarum percepturi estis: adeo iunctus est: ut nō magis laborādū uobis esse uideat': quā uoluptati honestissimæ inseruiēdū. qua ut ampliore quoq; perfruamini: nihil mihi uideor omissurus: nihil præteritur⁹: qd' quæri a uobis aut desyderari nouerim, si modo eiusmodi sit futurū, quod & nobis quoq; non ignoretur. Quid enim literato homine turpius, aut ab humanitate alienius, quam si aut scisse, aut didicisse frustra uideatur? Frustra autem & scit & didicit, qui nec commentando, nec docendo cuiquam prodest. sicut enim in animātibus propriū, ac naturale maxime opus esse censetur procreare tale aliquid, quale ipsum

est,si integrum,absolutũq; sit:ita erudito homini nihil con/uenire magis dixeris:quã efficere,relinquereq; post se sui simillimos in studijs,ac disciplinis: si aut homo fuisse uideri uult:aut non indoctus homo.hominẽ enim hominis causa natum credi par est. Quare neq; inuidere cuiq; in literis fas iudico:neq; supprimere quicquam:quod utile futurũ existi/mes aut uiuentibus,aut posteris:nam ut ait Theognis:

χρὴ μουσῶν θεράποντα, καὶ ἄγγελον, εἴτι περισσὸν
  εἰδείη σοφίης, μὴ φθονερὸν τελέθειν.
ἀλλὰ τὰ μὲν μῶσθαι, τὰ δὲ δεικνύναι, ἄλλα δὲ ποιεῖν.
  τί σφιν χρήσηται, μοῦνος ἐπιστάμενος; hoc est,

Musarum interpres,siquid sapientius unquam
  Nouerit,inuidia sit procul ille mala:
Nuncq; alia inueniat,nunc monstret,plurima condat:
  Si solus sapiat,nempe quis usus erit?

Quippe ut Plato aiebat:non minus ad felicitatem pertinet bonos efficere:quam bonum esse. ideoque nulli magis idẽ familiarius se offerre solitus erat: quã cui plurimo usui esse posset:quiq; se,suisq; rebus maxime frui ualeret:quod mihi quoq; uideo esse faciendum,in ea præsertim Ciuitate: quæ non tam potẽtia,atq; imperio ipsius sit Italiæ Metropolis: quam quibusuis uirtutibus totius orbis grande specimen atq; ornamentum,uel potius naturæ miraculum,cum quæ imperium uitia comitari solent:non modo ita refugerit, ut non inesse possint suæ reip.sed ne excogitari quidem. Quare beatum iudico eum,quem cuiuis studio incumbentẽ degere in ea contigerit,sed beatissimũ,quem literariæ facultates exceperint,cum tot presertim,tantaq; undiq; suppetãt, affluãtq; ad eã rem cõmoda,ut fingi fortasse plura possint,

haberi

haberi certe non possint. ubi enim, ut alia omittam: tanta li/
brorum copia, quanta post Gotthicam ruinam nunc̄ fuit,
nec ueteribus uero Romanis aut græcis florentibus in his,
quæ extent fuisse credi par est, cum nouo hoc inuento care/
rerent imprimendorū librorū: qui & pulcherrimi iam atq̄
emendatissimi prodire incipiunt, Aldi potissimum nostri
opera: de quo illud habeo dicere, quod de Porphyrio in/
quit Simplicius, omniū bonorū nobis autor Aldus. uobis
uero illud mihi uideor accōmodaturus, quod Demosthe/
nes, quē interpretaturi sumus: Atheniēsibus protulit. Ferte
autē rogo æquo anio græcis me pauculis uerbis uos alloqui.
ὁ μὲν οὖν παρὼν καιρὸς ὦ ἄνδρες ἐνετοί, μονονουχὶ φωνὴν ἀφιεὶς
λέγει, ὅτι τῶν ἑλληνικῶν ὑμῖν λόγων ἀντιληπτέον ἐστὶν, εἴπερ ὑπὲρ
εὐτυχίας αὐτῶν φροντίζετε, hoc est, præsens itaq̄ tēpus o uiri
Veneti quasi emissa uoce pronūciat capessendas esse uobis
græcas literas, si quid de felicitate uestra cogitatis. nam ut
Virgilianū quoq̄ carmē in uos transferam: Via prima feli/
citatis, quod minime remini: graia pandetur ab urbe. Exper
giscimini igitur iam: & capessite græcas literas ultro sese uo/
bis offerentes. Dixi.

HABITA FVIT HAEC ORATIO VENETIIS
MENSE IANVARIO. M. D. IIII.

BASILEAE APVD IOANNEM FRO
BENIVM. MENSE MARTIO.
M. D. XVII.

γίνεσθε φρόνιμοι ὡς οἱ ὄφεις.



Prudens simplicitas amorque recti.

היו ערומים כנחשים ותמימים כיונים

ἀκέραιοι ὡς αἱ περιστεραί.









